



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Positiones Tum ex Canonico, Tum ex Civili Jure Depromptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

POSITIONES
Tum ex CANONICO,
Tum ex CIVILI
JURE DE PROMPTÆ.

1. **N**on sufficit credere Summam Trinitatem, & præcipuos, ut vocant, Christianæ Fidei articulos. 2. Clerici non obligantur legibus, v. g. teloniorum, à Magistratu Laico positis. 3. Irritum est scriptum gratiæ, v. g. dispensatio Datarie Romanæ in impedimento Matrimonii, si petens per errorem non expressit verum impedimentum, vel nomen genuinum. 4. Si Postulatio ad Prælaturam Ecclesiasticam concurrat cum Electione, Postulandus debet habere duas Suffragiorum tertias. 5. Siquis laborans impedimento Juris Ecclesiastici occulto eligatur ad Prælaturam Ecclesiasticam, pro foro interno eam licitè ac validè admittit, retinetque. 6. Mensuramus de Electo contra formam c. 42. de Electione. 7. Monasteriò in Seminarium v. g. translato censetur etiam translata onera annexariorum &c. quamvis probabiliter his præscribi possit. 8. Abbates Exempti Subditos Regulares pro suscipiendis Ordinibus Sacris dimittere possunt ad Episcopum alienum. 9. Valet Ordinatio illius, qui in Examine mentitur non habere legitimam ætatem &c. 10. Unctio Chrismatica non est de essentia Ordinis & Consecrationis Episcopalis. 11. Neque contactus physicus Hostie cum Patena de essentia Ordinis Sacerdotalis. 12. Dispensatus ad Ordinem Sacros hoc ipso est dispensatus ad Beneficium simplex. 13. Obligatus sponsalia sine hujus consensu licitè non initiatur SS. Ordinibus. 14. Destitutus potentiâ videndi in uno oculo, etiam sinistro, non est irregularis. 15. Judex delegatus ad causam particularem nequit restituere in integrum contra suam sententiam definitivam. 16. Legatus Pontificis, etiam de Latere, in

prima instantia adiri non potest. 17. Propter hoc, quod Judex non concedat productionem testis à Parte petitam, sententia non est invalida. 18. Appellatio à Papa ad Concilium Generalia sicut impia, ita invalida est: & talis est Quænellistarum & Janenistarum. 19. Confessio Procuratoris de accepto mutuo non nocet Principali; licet huic ordinariè noceat illius negligentia. 20. Minor potestate patria per Matrimonium egressus, & per contractus durante Minorenitate læsus, gaudet restitutione in integrum. 21. Tempus tamen ad petendam restitutionem à Jure concessum eidem incipit currere etiam ignorant, sive ignorantia Juris, sive ignorantia Facti laboret. 22. Idem est de quadrennio Ecclesiis concessio probabilius. 23. Appellatio à laudo Arbitri Compromissarii non datur. 24. In potestate Actoris est eligere Judicium Ordinarium vel Summarium, si causa est talis, ut in utroque disceptari possit. 25. Hæres non tenetur comparere coram Judice loci, ubi testator mortuus est, & hæreditatis facta divisio, si ipse cum bonis se jam aliò recepit. 26. Vicusuetudinis tantum concedimus reconventionem Clerici coram Judice Laico in causa etiam non connexa: quæ tamen consuetudo in Bavaria non videtur satis probari. 27. Non est necesse nomen Actionis specificè in libello exprimere. 28. Protestatio de lite non contestanda potest facere, ut Responsio sit Extrajudicialis, & litis contestatio non censeatur facta. 29. Reus in causa capitali non est compellendus ad jurandum de calumnia. 30. Sacramentaliter confitens sub Missa satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro. 31. Uti & duos successivè Missas partiales audiens & connectens. 32. Sicut objiciatur, quod ex adulterio natus sit, de legitimitate Natalium cognoscit Judex Laicus. 33. Si Actor plus petat tempore, non ad solutionem post duplicatas inducias condemnandus est debitor, sed absolvendus ab instantia. 34. Possessor bonæ fidei cum re aliena evicta restituit fructus perceptos & formaliter exstantes; exceptis tamen industrialibus. 35. Sicut & lucratur fructus naturales & mixtos solum virtualiter exstantes, suosque facit irrevocabiles. 36. Spoliatus possessione, etiam à Judice absque prævia cognitione, restituendus est ante omnia. 37. Contra eum, qui non comparèt citatus in Judicio, à suo tamen Superiore legitimo comparere prohibetur, in contumaciam procedi non potest. 38. Reo contumaciter absente potest Actor, modo, si petat, etiam debet mitti in possessionem ex primo decreto. 39. Si Judex procedat in causa Criminali, dependente à Civili jam delata ad Superiorem, ac ibi adhuc pendente, reum se facit attentati. 40. Malè decernitur sequestratio Judicialis, si debitum non sit liquidum, & debitor non auditus, nec de fuga, vel dilapidatione suspectus. 41. Cauconi permittimus arrestare rhedam vel equos peregrini transeuntis pro symbola non soluta. 42. Dolus accidentalis non reddit contractum bonæ fidei invalidum pro foro externo, licet det causam contractui; ferè sicut nec error hujusmodi, nec metus gravis injustè

injustè incussus irritat. 43. Opponens exceptionem Juris, simpliciter dicendo, *solvi*, non liberat Actorem ab onere probandi. 44. Testis deponens pro Communitate, cujus est membrum, non est idoneus, si in singulos de Communitate ex ejus testimonio redundat utilitas. 45. Interventus solennitatis ad actum requisita non semper præsumitur ex antiquitate temporis, etiam longissimi. 46. Verba *sub fide Nobili* assertis vel promissis adjecta non continent verum juramentum. 47. Et Transactio, & Præscriptio, si in continen probentur, sunt Exceptiones litis finitæ, litisque contestationem & ingressum impediunt. 48. Bonæ fidei ad Præscriptionem requisita non obest dubium Speculativum tam in inchoante, quàm in continuante Præscriptionem, si dein dubium sit Positivum, sive Negativum; adeoque etiam fides negativè bona sufficit ad inchoandam Præscriptionem. 49. Neque scientia juris alieni bonam fidem tollere videtur, nisi nempe vel dies, vel creditor, vel Jus urgeat solutionem. 50. Juri luendi pignus probabilius præscribitur 30. annis. 51. Præscriptio jam cœpta non interruptitur statim naturaliter per protestationem, inhibitionem, vel denuntiationem extrajudicalem. Neque per Pignorationem, nisi pignus tradatur Judici. 52. Nec interruptitur civiliter per quemlibet actum Judicalem: sed ad hoc in Præscriptione temporis brevius necessaria est sententia, nec sufficit sola citatio, vel etiam litis contestatio. 53. Præscriptio tamen longi temporis dicto modò interruptitur per litis contestationem, non verò per solam citationem. 54. Idem probabilior sententia affirmat de Præscriptione longissimi temporis. 55. Sententia lata contra fratrem non nocet fratri cohæredi, si consors litis non fuerit. 56. Sententia exprimens causam, quam constat esse falsam, non subsistit. 57. Sententia, quæ transit in rem judicatam, seu res judicata etiam in foro confiscationis locum habet, sicut Præscriptio, licet postea certò constiterit, debitorum fuisse, qui fuit absolutus, modò bona fide litigaverit. 58. Confirmatio actûs, à Pontifice data etiam in forma communi tantum, adimit Episcopo inferioribus potestatem cognoscendi de tali actu. 59. Pluralitas Beneficiorum, ratione Residentiæ vel Servitii incompatibilium, Jure Naturali & Divino, saltem in thesi & conditionatè, est prohibita. 60. Beneficia quoad regimen vel dignitatem inæqualia, si permulentur, compensare pecuniâ non licet. 61. Papa ex plenitudine potestatis derogare quidem potest Concordatis Germaniæ etiam sine consensu Nationis Germanicæ, id tamen facere non censetur, nisi expressam hujus intentionis suæ mentionem faciat. 62. *Iisdem derogare potest Consuetudo & Præscriptio in favorem Germanorum.* 63. Promissio Beneficii, tam incerti quàm certi, necdum vacantis, irrita est, licet firmo juramentò sit, vel scripturâ. 64. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ potest de vacante regulariter omnia, quæ ad Ordinariam Episcopi vel Necessarium

jurisdictionem pertinent. 65. Solemnitates ad alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium à Jure præscriptas observare oportet etiam in casu, quoties res ab una in aliam Ecclesiam alienantur. 66. Inter alienationis species hoc loco etiam censemus repudiationem Legati. 67. Venditor præcisè ad rem tradendam obligatur, nec satisfacit per se præstando interesse. 68. Emphyteusis est contractus merè consensualis, scripturam non requirens ad substantiam, seclusa consuetudine aut statuto particulari contrario. 69. Clerici & Religiosi capaces sunt feudi, nisi feudum sit strictè gentilitium, vel exigat servitia personalia Clericum vel Religiosum dedecentia, & per se ipsos præstanda. 70. Clerici Beneficiati reddituum superfluum, ex suis Beneficiis provenientes, sunt veri domini. 71. Nec tenentur eos piè expendere ex Jure Naturali Charitatis, Justitiæ, aut Religionis, bene tamen ex præcepto Ecclesiæ. 72. Etiam hoc præceptum per consuetudinem abrogari posse concedimus, ut adeò de dictis superfluis etiam ad causas profanas validè ac licitè per ultimam voluntatem disponant. 73. Testamentum insolenne, seu ex defectu solemnitatis imperfectum, probabilius valet pro foro interno tam quoad hæredis institutionem, quàm quoad legata profana in illo contenta. Nec satis est probabile, quòd testamentum ad causas pias in terris Imperii, seclusa consuetudine, ob defectum solemnitatum non subsistat. 74. Decimæ Novarum pertinent ad Parochum, etiamsi alius, etiam persona vel communitas Ecclesiastica, ex privilegio vel præscriptione decimas antiquas in tali districtu colligat. 75. Furtum in Ecclesia committens, ibique deprehensus, non est privandus immunitate locali, & jure asyli. 76. Sponsalia gravi metu extorta rectè dicuntur valere. 77. Fictè promittens Matrimonium pœllæ, ut ab ea usum corporis eblandiatur, tenetur regulariter eam ducere, nec satisfacit, si alio modo velit ei compensare damnum, si illa corpus usum concessit. 78. Matrimonium cum dubio Juris positivo, seu cum opinione probabili de impedimento dirimente per Jura non constituo, tantùm quàm validè contrahitur. 79. Matrimonium sub conditione perpetuæ castitatis servandæ, nunquam petendi & reddendi debitum conjugale &c. videtur nobis validè contrahi. 80. Hæretici in nostra Germania cum impedimento Juris merè Ecclesiastici dirimente, v. g. cum impedimento clandestinitatis, Matrimonia contrahentes validè agunt, ut nos quidem existimamus. 81. Sponsalia de futuro per alia posteriora ejusdem rationis, etiam jurata, non solvuntur, imò nec, si sponsa posterior fuerit ignara priorum, ac insuper imprægnata, & damnum alio modo, quàm per Matrimonium, eidem restitui nequiret. 82. Eadem tamen per Sponsalia de præsentibus tolluntur, at non absolute ac perpetuè ex parte perfidi, qui proin matet obligatus ducere sponsam priorem mortuam secundam de præsentibus ductam. 83. Impedimentum Criminalis pro foro interno probabiliter non incurritur ab eo, qui ignoravit, illud suo

seo delicto esse à Jure annexum. 84. Matrimonium Christianorum fœdè
validè contractum & consummatum in Nova Lege est indissolubile ita, ut nec
propter unius adulterium licitè aut validè aliud contrahatur Matrimonium, ut
tamen perperam Hæretici Germaniæ dissolvunt. 85. Ratum tamen, & rati-
quam consummatum, dissolubile est non modò per ingressum Religionis, sed
etiam per Dispensationem Summi Pontificis. 86. Ad constituendam Simo-
niam sufficit munus à lingua. 87. Filiusfamilias ex mutuo, sine consensu
patris accepto, ne quidem in conscientia obligatur in casibus, in quibus
potest exceptione Senatusconsulti Macedoniani, non obstante, quòd inde
ctus sit ditior, vel renuntiaverit huic favori Juris. 88. Si tamen huic privi-
gio renuntiasset cum juramento, obligaretur in tantum, in quantum ex mu-
tuo ditior effectus est. 89. Usura illicita non est, quam permittit Con-
suetudo vel Statutum, uti in Germania sunt usuræ quincunces. 90. Ad re-
stitutionem damni ex culpa merè Juridica dati damnificans in conscientia
tenetur ante sententiam. 91. Licet obligetur post sententiam Judicis
pro interno, quàm pro externo foro. 92. Clericis inferioribus, etiam Pa-
rochis, per se non licet gestare habitum coloris violacei. 93. Frustra
Sacerdos, qui ob tentationes carnis, priùs non prævisas, obtinere transi-
sperat ad statum Matrimoniale. 94. Per se illicitum est adire, vel mittere
filios, ad Universitates Hæreticorum Jurisprudentiæ addiscendæ causâ.
95. Canonicus, etiam Collegiæ tantùm Ecclesiæ, ob Visitationem diocesis de-
sens lucratur fructus annuos omnes, non tamen distributiones. 96. In-
titutus in Beneficio Parochiali Sæculari obtinet illud in titulum perpetuum,
ut ab Episcopo amoveri non possit absque causa in Jure expressâ. 97. Post
Episcopus ex justa causa concedere resignanti Beneficium pensionem annuam
à resignatario solvendam. 98. Imò & resignatario dare licentiam redimendi
pensionem, pretiò simul & semel perolutò. 99. Commodans alteri res
suam, qua propter causam non prævisam ipsemet indiget, justè illam revocari
ante usum. 100. Si res commodata perit per culpam commodatarii, licet
in commodato habet compensatio. 101. Etiam res immobiles cadere sub ob-
positum possunt; quamvis accessoria rei depositæ regulariter non censentur
esse deposita. 102. Successor particularis, v. g. emptor rei locatæ,
non tenetur stare locationi, sed potest conductorem
expellere ante finitum locationis
tempus.

